munificentiae nostrae gratia, confirmamus eis privilegia regis Rogerii, et regis Guillelmi primi, et filii eius regis Guillelmi secundi, eidem ecclesiae ab eisdem regibus indulta. Quicquid etiam ipsa ecclesia Sancti Salvatoris de Messana tenuit et possedit a tempore praedicti regis Rogerii usque ad obitum regis Guillelmi secundi; tum in abbatiis quam in obedientiis, nemoribus, olivetis, villanis, recommendatis, molendinis, tunnaria, cannitis et aliis tenimentis et rationibus suis, imperiali et regali auctoritate confirmamus, stuentes et imperiali edicto praecipientes ut nulla de caetero ecclesiastica vel secularis humilis vel alta persona contra hanc nostrae confirmationis paginam venire audeat, aut eam quibuscumque perturbationibus vel iniustis vexationibus molestare. Quod si quis temerarius facere attemptaverit, indignationem nostri culminis se noverit incursum, et pro poena temeritatis suaे viginti libras auri purissimi componet, medietatem fisco imperiali, reliquam vero medietatem iniuriam passis, confirmatione nostra nihilominus firma, et stabili permanente. Quae ut firmitate gaudeat in perpetuum illibata, praesenti eam privilegio et bulla nostra aurea iussimus communiri. Huius rei testes sunt Mathaeus Capuanus archiepiscopus, Henricus Wormaciensis episcopus et imperialis curiae vicarius, Guillelmus Reginus archiepiscopus, Bonifacius marchio Montis Ferrati, Philippus frater noster, Conradus dux Spoleti, Conradus Marchio Molitii (Molisi P.), Robertus de Durna, Marcualdus senescalcus noster, Henricus de Lutra picerna noster (Kaldiri pincerna noster P. fehlt), Henricus de Kalendino maior marescalcus, et alii quamplures. (P. schliesst: Marflaldus major Siniscalcus). Datum in civitate Messanae anno dominicae incarnationis millesimo CXCV inductionis XIII. IIII nonas februarii.

2. Constantia bestätigt in einem Schreiben an den Archimanditen Leontius die Abgrenzung des Gutes von Agro-Messina. — Messina, Januar 1196 <sup>1)</sup>.

Constantia divina favente clementia Romanorum imperatrix et regina Siciliae semper augusta. Cum illius tantum munere, ad cuius laudes ecclesiae deputatae consistunt, paternum concenderimus solium, et tam imperiali quam regia feliciter prosperitate regnemus, ipsi, utpote nostrae protectionis auctori, acceptis provisionis nostrae meritis et gratuitis semper tenemur assurgere operibus pietatis. Hinc est utique quod benignum ad celestis numinis excellentiam et sacro-sanctas eius ecclesias habentes usque (qua) que respectum, cum de nemoribus et tenimentis aliis, imperiali sublatis magnificientiae per Rogerium Bascellum et Leonem de Trayna iustitiarios fideles nostros, subtilis nuper inquisitio processisset, quia inter Loanam nostram et venerabilem Leontium archimandritam Sancti Salvatoris de Messana, de divisis et pertinentiis Agro quaestio vertebatur, ad omne dubitationis scrupulum de iam dictis finibus et divisis Agro penitus auferendum, memoratis nostris fidelibus, ad quietem praefati monasterii Sancti Salvatoris et fratrum ibidem Domino famulantium tranquillitatem perpetuam, dedimus in mandatis, ut divisas Agro studio diligenti perquirerent et eas certis finibus terminarent. Qui ad locum ipsum Agro se cum Philippo de Fimis et Joanne de Paternita, pro tempore magistris foristeriis, et aliis quam pluribus probis hominibus conferentes, visis privilegiis praefati monasterii Sancti Salvatoris et recepto etiam iuramento a veteranis et probis hominibus circumiacentium partium, qui divisas Agro veraciter ostenderent prout scirent, tales de

---

<sup>1)</sup> Reg. f. 13.

Agro eorum demonstratione sicut concepimus fecere divisas. Sicut ascendit scala S. Margaritae, et ascendit per crestam usque ad Mustaca, et inde rescidet ad tria Vunacaria id est tres monticulos, et inde vadit Rihaerram parvam, et inde per montem usque ad S. Philippum de Margi, inde per viam usque ad Calatelmos, et inde per crestam usque ad Pepelenias, et inde ascedit cresta et via usque ad venam Adrianitarum, et refundit ad domum Gaydari usque ad Psilon montem qui dicitur Malus mons, sicut descendunt effusiones aquarum, et inde cresta cresta usque ad montem Adrea, et inde ascedit usque ad Megalium montem, inde descendit a Caballo et Charlibei, et inde descendit cresta cresta usque ad mare, et concludit. Haec autem omnia dividunt effusiones aquarum. Ne igitur de divisis praedictis adversus venerabilem saepedictum archimandritam et monasterium eius, aliqua processu temporis oriatur quaestio vel controversia suscitetur, et ut finibus et divisis Agro terminus, sicut est dictum, impositus inconcussus permaneat et perpetuae robur obtineat firmitatis, praesentem exinde conscribi paginam et eam nostro sigillo cereo iussimus communiri, anno, mense et inductione subscriptis. Datum Messanae anno dominicae incarnationis mill. cent. nonagesimo sexto, mense ianuarii, quartae decimae inductionis, regnante domino Henrico sexto Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto et rege Siciliae gloriosissimo, anno regni eius vicesimo quinto, imperii vero quinto, et regni Siciliae anno secundo feliciter amen.

Regest bei Pirri, II, 981 mit korrumptem Datum.

3. Constantia bestätigt dem Archimandriten Leontius die Obedienz des Klosters S. Nicolaus von Droso. — Messina, März 1197<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Das Reg. fol. 8 hat die Bemerkung: Extat originale.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis amen. Constantia divina favente clementia Romanorum imperatrix et regina Siciliae semper augusta. Cum ad universa quae sub imperii nostri regimine auctore Domino gubernantur nostra non desinit providentia vigilare, sacrosantas ecclesias et religiosa monasteria tanto maiori volumus protectione fovere, quanto ex eorum suffragiis salutis nobis credimus remedia provenire. Inde est quod cum Leontius venerabilis archimandrita monasterii Sancti Salvatoris de Messana fidelis noster celsitudini nostrae proposuisset, ecclesiam Sancti Nicolai de Dromo, obedientiam videlicet praefatae ecclesiae sancti Salvatoris, a quibusdam impeti et indebite molestari, maiestati nostrae humiliter supplicavit ut privilegia eidem ecclesiae S. Nicolai a progenitoribus nostris indulta nostra ei dignatio confirmaret. Unde ostendit quoddam privilegium per quod assurit clarissimum quandam regem Rogerium, divae memoriae patrem nostrum, ipsi ecclesiae S. Nicolai confirmasse quosdam homines, quos ei concesserat olim Robertus Burrellus, quorum nomina sunt haec: filii Rabani, filii Mustelli, filii Licii, filii Calveti, filii Matsamati, filii Spani, filii Tagistra et Leo spurius, cum tenimentis et possessionibus eorum, cum terris etiam praedictae ecclesiae pertinentibus, necnon nemoribus glandorum, pascuis et terris de Vicas cum nemore quod ibidem existit, et quos de propria liberalitate idem magnificus rex iam dictae concessit ecclesiae, Costa scilicet, et Druco, et Petrus Mala- fera de Nicotera. Ostendit insuper aliud privilegium illustrissimi quandam comitis Rogerii gloriosae recordationis avi nostri, per quod idem comes, ad supplicationem Methodii olim abbatis praenominatae ecclesiae S. Nicolai de Druso, eidem profitetur ecclesiae concessisse quosdam captivos extraneos et adventitios, cum quibusdam mulieribus et pupillis, qui de aliquius placia vel dominio non existentes se ad praedictam ecclesiam contulerunt. Ostendit praeterea privilegium famosissimi ducis Rogerii recolendae memoriae, per quod idem dux

iam dictae ecclesiae se asserit concessisse puerum unum nomine Meletinum, filium Theodori Drusi, in ecclesia ipsa missum. Adduxit et ostendit privilegium quondam Roberti Burrelli de quibusdam terris, quas praefatus dux, scilicet in privilegio inde facto continetur(?) memoratae concedit ecclesiae, nec non de hominibus in eadem ecclesia S. Nicolai tenuisse asseritur, de quibusdam etiam molendinis et terris Lame, et aliis ipsius ecclesiae pertinentibus, iniungens baiulis et hominibus suis quatenus nullus eorum hominibus, tenimentis ac possessionibus praenominatae ecclesiae molestiam aliquam vel iacturam inferre praesumat. Supradictis itaque privilegiis visis et diligenter inspectis, ad preces supradicti archimandritae, de consueta solii nostri benignitate (et) praefatae ecclesiae confirmamus et auctoritate huius nostri privilegii communimus, universis fidelibus nostris sub optentu nostrae gratiae prohibentes quatenus praefatae ecclesiae S. Nicolai de Drosa, obedientiae iam dicti monasterii S. Salvatoris de Messana, in hominibus, possessionibus, molendinis et omnibus iustis tenimentis et pertinentiis suis, nullus praesumat molestiam aliquam seu gravamen inferre, scientes quod quicumque huic nostrae celsitudinis edicto temerarius obviator extiterit, imperialis culminis iram incurret. Nihilominus etiam eidem ecclesiae, auctoritate praesentis privilegii, concedimus et confirmamus possessiones, homines, tenimenta et iardina, et quicquid ecclesia ipsa hactenus pacifice tenuit et tenet. Ad huius autem nostrae confirmationis et protectionis memoriam praesens privilegium conscribi et nostra maiestatis sigillo iussimus communiri. Datum in urbe Messanae anno Dominicae incarnationis millesimo centesimo nonagesimo septimo, mense martii, indicatione XIII, regnante domino nostro Henrico sexto Dei gratia Romanorum Magnifico imperatore et rege Siciliae semper aucto-  
gusto, anno regni eius XXVI, imperii vero sexto, regni Si-  
ciliae secundo feliciter, amen.

- 4) Friedrich II bestätigt dem Archimandriten Leontius die Privilegien von S. Salvatore. Palermo, 1200 Juni. <sup>1)</sup>

Fridericus divina favente clementia rex Siciliae, ducatus Apuliae, et principatus Capuae. Cum personis ecclesiasticis et locis religiosis divinis obsequiis dedicatis nostrae manum liberalitatis porrigitus, certum et evidens est quod ad praesentis vitae tranquillum statum et ad aeternae retributionis praemium nostrae proficiat majestati. Inde est quod nos attentes laudabilem conversationem Leontii venerabilis archimandritae et monachorum Sancti Salvatoris de Messana fidelium nostrorum, considerantes etiam nihilominus sinceram fidem et grata servitia, quae progenitoribus nostris et nobis semper devotius exhibere curarunt, de innata benignitatis nostrae clementia eidem monasterio perpetuo confirmamus, et praesentis scripti pagina communimus universa privilegia regis Rogerii, regis Guillelmi primi et secundi, praedecesorum nostrorum felicis memoriae, et domini imperatoris et dominae imperatricis parentum nostrorum inclitae recordationis, quae ipsi ecclesiae indulserunt. Quicquid etiam ipsa ecclesia Sancti Salvatoris de Messana tenuit et possedit a tempore beatae memoriae regis Rogerii avi nostri, usque ad obitum dominae imperatricis quondam carissimae matris nostrae, tam in abbatiis quam in obedientiis, nemoribus, olivetis, villanis, recommendatis, molendinis, tannaria, cannitis et aliis tenimentis et rationibus suis, statuentes et regali praecipientes edicto, ut nulla de caetero ecclesiastica vel saecularis, humilis vel alta persona contra hanc nostrae confirmationis paginam venire audeat, aut eam quibuscumque perturbationibus vel

<sup>1)</sup> Das Reg. gibt zweimal den ganzen Text, fol. 14 und 289; das zweite Mal mit Zusatz: Extat hoc privilegium in tabulario archimandritatus.

iniustis exactionibus molestare. Quod si quis unquam facere attemptaverit, indignationem nostri culminis se noverit incursum, confirmatione nostra nihilominus firma et stabili permanente. Ad hujus autem confirmationis nostrae memoriam et inviolabile firmamentum, praesens privilegium scribi et majestatis nostrae sigillo iussimus communiri, anno, mense et inductione subscriptis. Data in urbe felici Panormi, anno dominicae incarnationis MCC, mense junio, III inductionis, regni vero (*sic*) domini nostri Friderici Dei gratia illustrissimi regis Siciliae, ducatus Apuliae et principatus Capuae anno tertio. Feliciter. Amen.

Regest bei Pirri, II, 981, und darnach bei Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Fred. II. I, 45 und Böhmer-Ficker, Reg. Imperii V, 1, Nr. 540. Winkelmann, Acta imp. inedita I, n. 81 gibt Reg. aus flüchtiger Abschrift oder Auszug s. XVIII. im Kommunalarchiv zu Palermo.

5. Friedrich II verleiht S. Salvatore alle Rechte der Krone auf die Güter von Tuchi. — Palermo, [Juli 1210.]<sup>1)</sup>

H 1202 Blt.  
Fredericus Dei gratia rex Siciliae ducatus Apuliae et principatus Capuae. Per praesens scriptum notum facimus universis praesentem paginam inspecturis, quod, cum Gualterius de Paleariis, regni Siciliae cancellarius, dilectus fidelis noster, pro exequendis servitiis nostris, apud Messanam, pecunia plurimum indigeret, ab ecclesia sancti Salvatoris de Messana sexaginta milia tarenos, sicut dixit, accepit, prout etiam et ab aliis ecclesiis regni nostri accepit, qui tareni, sicuti idem cancellarius noster asseruit, in exequendis nostris servitiis expensi fuerunt. Nos autem, de innata benignitatis nostrae clementia, volentes indemnitati eiusdem ecclesiae proinde

---

1) Reg. fol. 15.

providere in compensatione eiusdem pecuniae, sicut dictum est, ab ea acceptae, in pignus ipsius ecclesiae dedimus totum quod curia nostra habebat in terra supradicti monasterii, Tuchi scilicet de marinariis burgentium, recomendatis et yctoriochis de diversis baiulationibus et recollectionibus quae fiebant ab universis nostris hominibus, qui ibidem manebant tam de datis quam de aporiis servitiis animalium et de victualibus, necnon de tenauria et de omnibus aliis rationibus qua ibi curia nostra noscitur habuisse, haec omnia in pignus dedimus et concessimus monasterio supradicto, ut ipsa teneat et possideat libere ac quiete, et omnes eorum integre possideat redditus ac proventus doanae de supradicta quantitate pecuniae cum integritate quitetur, praeter rationes et anti-quas consuetudines necnon . . . mnum bajulationis, quae in ipsa terra praefato monasterio concessa fuerunt a felicibus regibus praedecessoribus nostris, quae etiam a parentibus nostris inclitae recordationis fuerunt postmodum confirmata, quae idem monasterium semper habuit et de iure debet habere. Statuimus igitur et mandamus quatenus nullus sit qui de iam dictis omnibus dictum monasterium molestare prae-sumat, sed ipsa pacifice teneat et quiete, et plene ab eis debitos percipiat redditus ac proventus doanae de praedicta pecunia cum integritate quitetur. Ad hujus autem rei memoriam et securitatem ipsius monasterii, praesens inde scriptum scribi, et maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Pa-normi, anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo secundo, mense octobris, sextae indictionis. <sup>1)</sup>

1) Dieser Urkunde vorher geht ein Act (f. 14), durch welchen Gualterius de Paleariis regni Siciliae cancellarius bekennt, dass er von S. Salvatore geliehen habe « mense aprilis tertiae indictionis auri tarenos undecim millia et quingentos ; mense martis quartae in-

6) Friedrich II bestätigt S. Salvatore den Besitz des Gutes in Agro. — Messina 1210 Juli.<sup>1)</sup>

In nomine Dei aeterni et Salvatoris nostri Jesu Christi Amen. Fredericus divina favente clementia rex Siciliae, ducatus Apuliae et principatus Capuae. In augmentum ecclesiarum tanto specialius intendere cupimus, quanto certius per beneficia, quae illis impendimus, coelestis nobis gratiae praemium comparamus. Inde est, quod nos divinae pietatis obtentu pro remedio etiam animarum domini patris et dominae matris nostrae, inclitae recordationis, ad supplicationes etiam quas tu Luca, venerabilis archimandrita monasterii S. Salvatoris de Messana fidelis noster, excellentiae nostrae devote porrexiisti, consideratis damnis pluribus quae idem monasterium pro servitiis nostris praeteritae turbationis temporibus pertulit, de solita liberalitatis nostrae gratia perpetuo concedimus eidem monasterio, quod est camera nostra, omnes marinarios burgenses pariter et villanos cum aporiis, tam christianos quam sarracenos, quos in terra Agro, quae est ejusdem, tam in farreritia quam in plano habuisse curia nostra dignoscitur volentes et firmiter statuentes, ut ipsi marinarii burgenses pariter et villani de omni servitio quod curiae nostrae facere consueverunt, eidem monasterio et nulli alii personae de caetero facere teneantur. Ad hujus autem concessionis et donationis nostrae memoriam et inviolabile firmamentum, praesens privilegium per manus Robini de Poli-

dictionis auri tarenos tria milia et quingentos; mense augusti quintae indictionis tarenos sex milia » — im Ganzen XXII milia et CCCL, für welche Summe er dem Kloster ein « Casale quod dicitur Chutti cum molendino quod ibi est » überlässt. Dieses Casale lag auf dem Gebiete von Trayna.

1) Reg. fol. 15.

castro notarii et fidelis nostri scribi, et maiestatis nostrae sigillo iussimus communiri, anno, mense et inductione subscriptis. Datum in civitate Messanae, anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo decimo, mense iulii, tertiae decimae inductionis, regni vero domini nostri Frederici, Dei gratia illustrissimi regis Siciliae, ducatus Apuliae et principatus Capuae, anno tertio.

7) Friedrich II bestätigt dem Archimandriten Lucas die Privilegien von S. Salvator. — Messina, März 1211. <sup>1)</sup>

Fredericus divina favente clementia rex Siciliae, ducatus Apuliae et principatus Capuae. Per praesens scriptum notum facimus universis personis ecclesiasticis et saecularibus, maioribus et minoribus, quod Lucas venerabilis archimandrita Sancti Salvatoris de Messana fidelis noster, obtulit nobis litteras ex parte Summi Pontificis, per quas monebat nos et diligenter inducebat, ut monasterium ipsum et fratres nostrae protectionis munimine tueremur, et auctoritate regia subreptas et abolitas res et bona ipsius ab omni persona vindicaremus, et illud plena faceremus restitutione gaudere. Nos autem attendentes salutaria merita sancti patris, habentes quoque respectum in eodem monasterio, et fratribus ibidem exhibentibus domino iugiter famulatum, et cognoscentes quod cuncta, quae habet ex privilegiis et bullis aureis et cereis felicis recordationis regum et imperatoris ac imperatricis parentum nostrorum et nostris concessionibus et muniberibus, tibi dudum confirmavimus, de gratia nostra, volumus et iubemus ut privilegia ipsa inconcussa remaneant et inviolata serventur, nullo temptante vel in aliquo praesumente se hiis opponere, vel aliquatenus obviare. Propter quod iterato p

<sup>1)</sup> Reg. fol. 4.

cepimus firmiter universis, ut quicumque aliquid detinet de monasteriis vel obedientiis, sive quibuslibet rebus ejusdem monasterii, seu etiam de libertatibus et consuetudinibus, terrae marique, sola praesentis nostri privilegii demonstratione contentus, id ad plenum restituat et ex toto dimittat in ejus dominio et ordinatione prelati et fratum ejus. Quod si quis temerarius de bonis ipsis præsumperit ulterius detinere, vel contraierit praesenti nostrae majestatis edicto, noverit se nostram indignationem perpetuo incursurum. Ad hujus autem edicti robur et inviolabile firmamentum, praesens privilegium scribi et majestatis nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Messanae, anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, mense martii, quartae decimae indictionis.

Auszug: Neues Archiv, III, 644 und darnach Böhmer-Ficker, 645 zu 1211.

8) Friedrich II bestätigt dem Archimandriten Lucas die Privilegien von S. Salvator. — Hagenau, 1216 März. <sup>1)</sup>

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex semper Augustus et rex Siciliae. Laudabilia sunt in principe quaelibet opera pietatis, sed illud laudabilius creditur quod sacrosanctis ecclesiis, viris religiosis et personis ecclesiasticis exhibetur. Dignum enim est et Deo satis acceptum, ut nostrorum largitate munerum semper accrescat facultas ecclesiarum, et quae eis donata sunt et concessa, et nostrorum privilegiorum munimine confirmata, rati habitione confirmantur, et in posterum ut tractu temporis roboris obtineant firmitatem. Eapropter universis personis ecclesiasticis et secularibus, majoribus et minoribus, in perpetuum notum esse volumus, quod Lucas venerabilis archiman-

---

<sup>1)</sup> Reg. fol. 6, und. 311.

drita Sancti Salvatoris Messanae, fidelis noster, obtulit nobis litteras ex parte Summi Pontificis, per quas monebat nos et diligentius inducebat, ut monasterium ipsum et fratres nostrae protectionis munimine tueremur et auctoritate regia subreptas et ablatas res et bona ipsius ab omni persona vindicaremus, et illud plena faceremus restitutione gaudere. Propter quod idem archimandrita celsitudini nostrae attentius supplicavit, ut in hoc petitionem suam et apostolicas admonitiones admitteremus benigne. Nos autem attendentes salutaria monita sanctissimi domini et patris nostri Summi Pontificis, habentes quoque respectum in eodem monasterio, et ad honestatem et religionem ipsius Lucae venerabilis archimandritae, et fratrum ibidem exhibentium Domino iugiter famulatum, et cognoscentes, quod cuncta quae habent ex privilegiis et bullis aureis et cereis felicis recordationis regis Rogerii, Willelmi primi et secundi et divisorum Augustorum parentum nostrorum et nostris concessionibus et muniberis, tibi dudum confirmavimus, eius supplications clementer admisisimus, ut ipsius monasterii indemnitati salubriter in posterum provideretur. De gratia et ex certa scientia nostra predicta omnia dicto monasterio Sancti Salvatoris Messanae donamus, concedimus et presenti privilegio in perpetuum confirmamus, volentes et iubentes ut privilegia ipsa inconcussa remaneant et de caetero inviolata serventur, nullo tentante vel aliquo praesumente se his opponere vel aliquatenus obviare. Iterato igitur statuimus et precipimus firmiter universis ut quicumque aliquod detinet de monasteriis, obedientiis sive quibuscumque rebus eiusdem monasterii, seu etiam de libertatibus et consuetudinibus terra marique, sola presentis privilegii nostri demonstratione contentus, id ad plenum restituat et ex toto dimittat in eius dominio et ordinatione praelati et fratrum ipsius. Quod si quis temerarius de bonis ipsis presumpserit ulterius detinere, vel contraierit praesenti nostrae maiestatis edito in vindictam sui reatus centum libras auri componat, quarum medietas ca-

merae nostrae, altera vera iniuriam passis persolvatur. Ut autem haec rata et firma permaneant, praesens privilegium scribi et bulla aurea typario nostrae maiestatis impressa prae-cipimus communiri. Hujus rei testes sunt Conradus Ratisponensis episcopus, Henricus Argentinensis episcopus, L. dux Bavariae et comes palatinus Reni, T. dux Lotharingie, O. dux Meraniae, Hermannus marchio de Baden, H. Lantgravius Tu-ringiae, Waltherus de Syph picerna, Riccardus Camerarius et alii quamplures.

Signum domini Friderici II Dei gratia (Monogramm)  
Romanorum regis semper Augusti et regis (des Kaisers)  
Siciliae.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus et impe-  
rialis aulae cancellarius vice domini Moguntini archiepiscopi  
et totius Germaniae archicancellarii recognovi. Acta sunt  
haec anno Dominicae incarnationis millesimo ducentesimo  
sextodecimo mense Martii, quartae indictionis, regnante do-  
mino nostro FRIDERICO Dei gratia Romanorum rege semper  
Augusto et rege Siciliae, anno Romani regni ipsius quarto, et  
Siciliae octavo decimo. Feliciter Amen. Datum Hagenove anno  
mense et indictione praescriptis.

Regest bei Pirri II, 981; Huillard-Breholles I, 447; Böhmer-Ficker, V n. 850.

9). Friedrich II bestätigt dem Archimanditen Macarius die  
Privilegien von S. Salvatore (Reg. f. 7 und f. 297). —  
Catania, Juni 1233. Si loca religiosa.

Das Document wurde von Pirri ganz veröfftent licht<sup>1)</sup>.

Schliesslich bemerke ich, dass sich folgende Quellen des  
bullarium Basilianum feststellen lassen, aus denen Menniti  
schöpfte :

<sup>1)</sup> Sicilia sacra, II ; cf. Reg. Imp. V, 1, n. 2022.

1° Eine Copie des Chartularium's von Grotta Ferrata ;  
 2° eine Copie des Chartularium's von S. Elias von Carbone ;

3° eine Anzahl Originalurkunden, welche aus dem Kloster S. Maria de Carra von Squillace herstammten ;

4° einige Originalurkunden aus dem Archiv des Klosters S. Johannes Theristes von Stilo ;

5° einige andere aus dem Kloster von S. Peter in Arena. <sup>1)</sup>

Somit sind ebensoviele Archive von Basilianer-Klöstern wieder aufgefunden und zugleich kennen wir, dank dem Cod. Vat. 8201, das Archiv von S. Salvatore in Messina, wie es am Ende des XVI. Jahrhunderts bestand.

---

1) Cf. Liber spiritualium rerum abbaciae Sancti Petri in Spina, Casalis Chiani, Melitensis diocesis, conscriptus de mandato Illīmī et Rīmī dni don Bernardini de Mendoza, filius proregis, abbas et archimandrita praedictae abbaciae anno 1579 (« Basiliāni », ohne Nummer).